

tus recto itinere Genuam proficiscitur; quæ militum nudata præsidio, cum exclusos suos cerneret, re frumentaria laboraret, compluresque ob insitum in Fulgosios, & Gallos studium ad deditionem proclives essent, nullo negotio Fulgosium, ac Venetos milites intra mœnia excepit; magistratuque Adurnis adempto, Genua in Francisci Gallorum Regis potestatem redacta est. Eo Theodorum Triultium Præfectum regio nomine cum præsidio militum Lautrechius misit, paucos post dies arce, in quam Adurnus cum Cæsareanis se receperat, per deditionem accepta; ita ut Genuæ civitas, & Ligustica ora universa foederatis accesserit. Veneti ut aliquod publicæ liberalitatis testimonium Ducibus, ac militibus, qui strenue in ea re perficienda operam navaverant, largirentur, Cæsari Fulgosio quinquaginta cataphractorum ductori alios triginta cataphractus duplicatis stipendiis adjecere; Guidoni Naldo, Annibali Fulgosio, Augustino Clusonio, Cæsari Martinenghio, Tonso Forojulienfi numerus militum, & publica pecunia aucta. Genua in potestatem Gallorum redacta, magna accessio foederatorum rebus facta fuisse videbatur; cum Ligustica ora subacta, maritimas vires Neapolitano regno excipiendas, atque eo belli impetum effundendum esse, non incertis rumoribus perferretur; cum Lautrechius ad Senatum Venetum literas dedisset, Genua recepta, sexdecim triremibus, quæ in eam expeditionem designatæ fuerant, minime opus esse: itaque petere, ut per Tyrrhenum mare navigatione omissa, Neapolitano regno adnavigent, ibi classem regiam cito adfuturam, ut communi consilio, ac viribus bellum in Neapolitanos fines inferretur. Petro Lando, classis Venetæ imperatori Senatusconsulto mandatur, ut quamprimum Siciliae insulæ litoribus emensis, ac navibus, si quas frumenti onustas inveniret, ad urbis annonæ inopiam sublevandam, soluta pecunia, mitteret; Joannem Maurum ex legatis alterum cum sexdecim triremibus Puteolos, aut in Aenariam proficisci juberet, ut ibi classem regiam præstolaretur, conjunctisque animis, ac viribus bellum administraret. Præterea eidem imperatori præceptum, ut Adriaticum sinum, quantum fieri posset, a piratis defenderet, ac præcipue Epidauri oram, quo, ut e proximis regionibus frumentum emerent, complures e nostris se contulerant, infestam-

1527

*Adurnis
expulsi,
Genua in
Gallorum
potestate.*

*Theodorus
Triultius
Genua præ-
ficitur.*

*Venetorum
in militum
Duces libe-
ralitas.*

*Mandata
Senatus ad
Petrum Lan-
dum.*